

Die Urkunden Karls des Großen, 175

(C.) In nomine patris et filii et spiritus sancti. Karolus serenissimus augustus a deo coronatus magnus pacificus imperator Romanorum gubernans imperium, qui et per misericordiam dei rex Francorum et Longobardorum omnibus episcopis abbatibus ducibus comitibus gastaldeis domesticis vicariis seu reliquis fidelibus nostris presentibus et futuris. Maximum regni nostri in hoc augere credimus munimentum, si petitionibus sacerdotum vel servorum dei, in quo nostris auribus fuerint prolate, libenti animo obtemperamus et eas in dei nomine ad effectum perducimus. Quapropter noverit solertia vestra, eo quod vir venerabilis Paulinus patriarcha Aquilegiensis ecclesie, que est in honore sancti Petri principis apostolorum vel sancti Hermachore martiris Christi constructa, serenitati nostrae postulavit, ut sub integra emunitate confirmationem de omnibus rebus vel facultatibus ipsius ecclesie seu monasteria virorum ac puellarum et sinodochia vel parochias ubicumque in nostro regno deo propicio consistentes ad ipsam scilicet sanctam dei ecclesiam pertinentes seu reliquas possessiones, quascumque ex dono regum sive ducum seu reliquorum deo timencium bonorum hominum inibi conlatas esse noscuntur et presenti tempore ipsa ecclesia dei possidere videtur vel quod inantea divina pietas ibidem augmentare voluerit, ex nostra indulgentia plenissima deliberatione circa ipsum sanctum locum cedere et confirmare deberemus, ita ut in villas vel curtes seu quibuslibet locis vel rebus ad ipsum sanctum locum pertinentibus vel aspicientibus nullus iudex publicus ad causas audiendum nec freta undique exigendum nec mansiones aut paratas faciendum nec homines vel servientes ipsius ecclesie distringendum nec ulla redibuciones requirendum quoque tempore ingrediere aut exactare deberet. Cuius petitionem venerabilem tribus his ex causis noluimus denegare: una videlicet pro veneracione tam ipsius sancti loci quamque ipsorum sacerdotum, qui ibidem domino deo famulare videntur, quatenus pro nobis uxoreque ac filiis et filiabus nostris et populo nobis a deo commisso iugiter domini misericordiam melius implorare delectet; alia, ut in divinis litteris et in doctrinis spiritualibus ampliolem certamen mittere procurent; tertia eius meritis compellentibus ita prestitisse et in omnibus concessisse cognoscite. Propterea per presentem auctoritatem atque confirmationis preceptum concedimus atque confirmamus denominata specialiter loca in ipso sancto et venerabili loco, id est cenobium sancte Marie semper virginis et genitricis domini nostri Iesu Christi, quod quidem Ferox abba edificavit in Verona foras muros civitatis loco qui vocatur ad Organum, cum omnibus ad se rebus pertinentibus nec non et ecclesia sancti Laurentii, que sita est in Foroiuli loco qui nuncupatur Boga, cum omnibus facultatibus suis, similiter et senodochium, quod dux Roduald edificavit in Foroiuli vocabulo sancti Iohannis cum omnibus adiacentiis vel pertinentiis suis. Dei igitur misericordiam considerantes tuc sancte petitioni sensum accomodantes cedimus atque confirmamus omnes precepciones tam regum quam ducum quibuscumque scilicet modis tempore Longobardorum ad ipsum sanctum et venerabilem locum constat devolutum. Quam ob rem specialiter decernimus atque iubemus, ut nullus quislibet de vobis aut iunioribus vel successoribus vestris amodo et deinceps, ut diximus, in villas vel curtes seu quibuslibet locis seu rebus vel monasteria virorum ac puellarum et senodochia vel in quibuslibet locis ecclesias ad prefatum locum respicientes ad causas audiendum vel freta undique exigendum nec homines ipsarum ecclesiarum distringendum nec mansiones aut paratas faciendum nec ulla redibuciones requirendum ullo umquam tempore ingrediere aut exactare presumatis; sed omnia que pretulimus sub emunitatis nomine valeat memoratus Paulinus patriarcha eiusque successores in omnibus locis et rebus ad se pertinentibus quieto

ordine vivere ac resedere et pro nobis ac prole seu et pro stabilitate imperii nostri domini misericordiam iugiter implorare. Et ut hec auctoritas firmior habeatur et diuturnis temporibus melius conservetur, manu propria subter firmavimus et de anulo nostro sigillari iussimus.

Signum (M.) Karoli gloriosissimi regis.

Iacob advicem Radoni recognovi.

Data pridie nonas augustas anno XXIII et XVIII regni nostri; actum Reganesburg palacio publico; in dei nomine feliciter amen.